



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eiusdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrge. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

LIX. Ioannes Christophorus à VVesterstetten.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Episcopatus obtigisset, omnes intelligant. Nec plura, de hoc Illustrissimo Præsule, quia, ut initio dixi, omnia eius Encomia Epitaphio breuiter veluti compendio illigata sunt.

### LIX. Ioannes Christophorus.

Joanni Conrado successit Ioannes Christophorus ex nobili & veteri stirpe à Westerstetten, IV. Decembris anno M.DC. XII. olim Ecclesiæ cathedralis Eystettenensis Decanus; ex Decano Præpositus & Dominus Elvvacensis; quem principatum aliquot annos sapienter, iustè, & summa cum æquitatis laude administravit, ut rectè factorum præmiator munificus, ita malefactorum vindex & ultor seuerus, præsertim veneficij; quam luem, latius præsertim per sexum femineum, manantem; ut cohiberet, nihil intentatum reliquit. Euectus postea ad cathedram Willibaldinam, Elvvacensi præpositura sese abdicavit, & ad S. Willibaldi mortem commigravit; in quo, tanquam in viuo exemplari intueri licet notas illas, quas in Episcopo desiderat S. Paulus, cum ait; Episcopum debere esse irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sua domui bene præpositum. Episcopus ex ipso nomine, inquit Isidorus Pelusiota, quid ipsius muneris atq; officij sit, per spectum habere debet. Eum enim inuisibilem & occultarum ferarum impetus, Ecclesiæ ignauias, Monachorum negligentias, iniquorum hominum improbitates, viduarum calamitates, pupillarum egestates, altaris suspiciones, Diaconorum morbos, iuuenum flagitia, senum mala consilia speculari oportet, atq; omni ex parte oculum esse, omnia prospicientem, nec quidquam

Isid. lib. I. epist.  
149.



quam negligentem. Quorum si quid per incuriam pratermissatur, non ipse solus plectitur, sed etiam cum eo uniuersa per sepe Ecclesia.

Societatem I E S V, quam semper amauit & fouit, Eystadium introduxit, Collegium Willibaldinum, pro sede attribuit. Scholas aperire, vel potius veteres iam fermè collapsas instaurare, & alia ministeria Societati nostræ consueta obire iussit, iamq; fundamenta magnifici Templi pro Societatis vsibus iecit. Arcis quoque Willibaldinæ structuram ab Illustrissimo antecessore suo *Ioanne Conrado* coeptam, magno animo & sumptu psequitur, cui nihil magis cordi est, quam ut pietas & religio vigeant. Qua de caussa nullis laboribus impensisue parcit; & quia à Parochis salus animarum præcipuè pendet, in id incumbit, ut pastorali curæ inepti remoueantur; apti substituuntur: qui per Diœcesin quoq; suam Romanum Breviarium; Missale, & alia ad ritus sacros spectantia promulgauit; quod à nonnullis vicinis Præsulibus, iam antea præstitum nouerat. *Viuat optimus Pastor & Princeps*, quia Episcopus *non sibi ipsi, sed subditis uiuit*, ut ait supra nominatus *Pelusiota*. Nec plura addo; addent posterius, quibus maior res præclaras describendi copia quàm mihi.

